



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 83. Variæ expeditiones in Occidania, Delphinatu, & in Aquitania.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.

A.C. 1573.

Religionis libera professio illis æque, ac edicto illo nominatis concedatur. V. Rex has pactiones ratas habeat, & auctoritate sua firmet, ac tum Urbs in Castrei manus permittatur, qui ab omni vi, & injuria suos cohibeat. Juxta has sanctiones obsides duodecim a Castreo imperati, quibus acceptis, & postea adlato a Rege diplomate, & depensa pecunia ipse urbem exeunte mense ingressus est, eamque præsidio munivit.

§. LXXXIII.

*Variae expeditiones in Occidania,  
Delphinatu, & in Aquitania.*

Thuan. l. c.  
lib. 55.  
Avila l. 5.

Ceterum belli civilis flammæ, quæ in Galliis accendebantur, suo incendio non modo Sancerram, ac Ruppellam urbes nuper obsessas invollebant, sed etiam sese ad Meridionales hujus Regni Provincias extendebant; quippe Henricus Montmorentius Damvilla Occidaniæ Gubernator admotis copiis suis Summarium urbem cinxit, eamque suis armis subjecit: propterea tamen Protestantes nequaquam a seditionis furore quicquam remittebant, sed resumptis animis Florenfacum, aliasque plures urbes intra Narbonnæ fines occupabant, necnon Ruffinetti oppidum



Sæcul. XVI.  
A.C. 1573.

pidum Rhodano adjacens, ac valde munitum, belloque gerendo percommodum repentino impetu obruebant, simulque Cursolium antea devastatum, atque ad ejusdem fluminis ripam situm novis munimentis e regione Valentienſis urbis firmabant, ſimul etiam Villanovam capientes, per quam expeditum ad Vivarienſem ditionem aditum ſibi aperiebant. Poſt hæc in Delphinatu Carolus Podienſis Monbrunius, qui hucusque deliteſcebat, tandem e ſuis latebris prorumpens Valentiam, & Montem-Ademarim occupare tentabat, verum ejus molimina in irritum cecidere, eoquod Gordius regius in Provincia Legatus trajecto Rhodano Vivarienſes copias in opem accurrentes in fugam egiffet. Ceterum nec in Aquitania ab armis ceſſatum: ibidem enim Honorius de Sabaudia, Villarius Marchio, Regis Navarræ Vicarius illuc cum valido milite decretus pactis conditionibus Teridam ſubegit, ac Farquium illius Gubernatorem ad arcis feneftras ſuſpendi juſſit, poſtea tamen fuit repulſus prope Cauſſadam, quam Puiolus ſtrenue propugnabat: nec etiam magis proſpera Honorio fortuna arridebat in Varfolienſi expeditione, pariterque Montalbennes incaſſum ſollicitabantur, ut ad Regis obſequium



Sæcul. XVI.  
A.C. 1573. reverterentur, quamvis hosce feditio-  
fos, cum ubique terrorem incuterent,  
Andegavensis Dux in Rupellensi pace  
pariter comprehendi voluerit, qua ra-  
tione huic bello finis imponebatur,

## §. LXXXIV.

*Caspari Schombergii sollicitationes  
apud Electorem Palatinum.*

*Thuan. l. 55.* Cum interea tot tumultus Franciam  
agitarent, in Polonia Gallorum stu-  
dia eo intendebantur, ut Andegaven-  
sium Duci hujus Regni solium afferer-  
etur, quamobrem Montlucus jam  
antea eo decretus, cum suos conatus  
a Cæsareis elufos cerneret, hac de re  
Reginam Matrem certiore reddens  
Virum Germanis acceptum, qui Pro-  
testantium animos sibi conciliare pos-  
set, illuc ablegari petiit: ergo Regina  
accepto hoc nuntio Casparum Schom-  
bergium Nobilem Germanum exeunte  
Mense Februario hoc anno Salutis no-  
stræ millesimo quingentesimo septua-  
gesimo tertio in Poloniam ablegabat,  
eo fine, ut sparsos rumores, quibus Pro-  
testantes ad præpediendam Andegaven-  
sis Ducis electionem utebantur, dilue-  
ret, & libellos famosos ubique dissemi-  
natos coram refutaret, Principesque  
ipfos ad antiquum foedus cum Franco-  
galliæ regno colendum hortaretur.

Hanc